



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvæ Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

24. De Lazaro mendico, & diuite epulone.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

volo, quæ in meam vergunt damnationem  
sed tua quæ mihi sunt ad salutem & perfectio-  
nem. Et quandoquidem gratia tua ad tuam me  
scholam deduxisti; adiuvā me ut in praxim  
deducam lectionem quam in ea audiui, ad  
gloriam sanctissimi nominis tui. Amen.

MEDITATIO XXIV.

DE MENDICO LAZARO Luc. 16. 20.  
& diuite Epulone.



**H**ÆC historia quam Christus  
Dominus noster retulit, ad  
exemplum & experimentū  
nostrum, est viua quædam ef-  
figies, felicitis mortis iustorū,  
qui passionis eius calicem bi-  
bunt, & contra infelicissimæ mortis, ac sup-  
plicij peccatorum, qui illum abiicientes ba-  
bilonicum a poculum bibunt, quod S. Ioannes a Apoc. 17. 4  
aureum esse commemorat, quia honoribus &  
diuitijs confidit, quod tamen abominatione &  
immunditia plenum est.

PUNCTVM I.

**C**ONSIDERANDA imprimis est mendi- Lazari pa-  
ci Lazari vita, quæ fuit continuū quod- tientia.  
dam patientiæ exercitium, in tribus  
aut quatuor præcipuis circumstantiis, quibus  
ad magnam peruenit sanctitatem, & ut in se

I.

exprimeret, quod Christus postea est passus.

PRIMUM ergò fuit singularis in tolerandis grauissimis vulnerum doloribus, erat enim à planta pedis vsque ad verticem capitis sicut alter Iob plenus, non potens ab vna in altera partem se mouere, sed iacebat ad portã auaritiæ diuitis, hoc ipsũ tolerans magna conformitate cum Dei voluntate, absque rancore, murmuratione aut querelis.

II.

DEINDE excelluit in extrema paupertate, inopia & fame toleranda, quam tanto silentio sustinebat, vt nec verbis quidẽ eleemosynam petiuisse dicatur, sed ostensis tantummodo vulneribus.

III.

TERTIO hæc ipsa sustinebat omninò derelictus & in hominũ contemptu, nam cũ tanta fame premeretur, vt *cuperet saturari de micis quæ cadebant de mensa Diuitis*, & cùm nemo illi daret, non de diuitis crudelitate aut feruorum eius conquerebatur. Accedit etiã quod hæc omnia pateretur, ipsis oculis cernens quanta abundantia & copia alijs suppeteret quod solet propriæ inopiæ dolorem augere,

IV.

QUARTO ad eam peruenit miseriam vt *canes ad eũ venirent & lingerent vlcera eius*, ad eoque mancus & inutilis erat, vt neque eos ipse abigere posset, neque qui illos remoueret inueniretur. Quod si existimemus hanc fuisse ingenitam canibus pietatẽ, hoc ipsius mendicantiam pignam auxisset, cùm in canibus inueniret pietatẽ, quã non experiebatur ab hominibus. Ex quo appareret quod perfecta patientia, omne

genus

genus calamitatum amplectitur, siue illæ ex propria natura proueniant, quales sunt morbi; siue per manus hominũ, quales sunt depre- dationes & similes iniurię; siue à creaturis ra- tione non utentibus, quales sunt fera, vespa, Cyniphes; siue à frigore, glacie alijsq; tempo- rũ iniurijs, siue deniq; quas demones procur- rant & inferunt: quibus id impletur quod S. Iac. Apost. dixit. *patiētia opus perfectũ habeat, a Iac. 2. 4. vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.*

His gradibus peruenit Lazarus ad tantã san- ctitatem, vt eius vitæ & laborũ Christus Do- minus voluerit esse historicus, & eam in ex- emplũ sanctitatis proponere. Et in ea videtur passionem propriam delineasse, in qua & ipse fuit vulneribus plenus in extrema paupertate & tanta ab omnibus desertione, vt cum in cruce pendens aquæ guttã desiderasset, nec qui illã daret repertus est, nec qui ei compa- teretur, suis itaque Christus Dominus crucia- tibus Lazari vulnera confirmauit, nosque do- cuit breuem & expeditam ad sanctitatem viam, esse pati dolores, rerũ indigentia, deseri ab alijs & contemni, amplectentes in omnib; diuinam ipsius voluntatẽ, in omnibus inquã, nã in aliquo horũ, quando solũ est diuinæ nos volũtati conformare, nõ est res magnã, sed qñ oēs sunt simul, heroicæ virtutis est æquanimi- ter oēs tolerare, non. n. heroicũ est morbũ fer- re, qñ adsũt diuitię. & homines qui adsunt, in- dulgent & cõpatiuntur, nec magnũ est, inopiã ferre, quando adest qui illã subleuet, sed oēs

hasce calamitates ferre & neminem esse qui subueniat, heroicæ virtutis est, & illi quam Christus habuit simillima. O IESU vulnerate, pauper ac deserte, adesto mihi gratia tua vt sanctissimam tuam patientiam, & Lazari huius mendici possim imitari, voluntatem meam, cum tua in meis calamitatibus conformando, siquidem in eum finem hæc mihi proponis exempla.

## PUNCTVM II.

Felix Lazari mors.

I.

**G**LORIOSAM Lazari mortem deinde considerabo, de qua Christus Dominus dixit, *factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahae*. In quo primum perpendam, Lazari mortem fuisse finem dolorum paupertatum, ac temporalium desertionum, principium verò quietis, diuitiarum, & æternorum honorum. Et quamuis mors eius quoad corpus fuerit vilis, & apud homines contemptibilis, quoad animam tamen pretiosa fuit in oculis Dei, qui angelos suos misit, vt illam ad Abrahae sinum vt cum iustis requiesceret deferrent; & quamuis ad hoc vel solus angelus eius custos suffecisset, voluit tamē Deus plurimos angelos, & angelorū exercitū ad illam honorandam & comitandam venire. O quam læta exiuit anima illa ex corpore suo! quam exultans cum tam illustri comitatu, quot congratulationes de sua victoria ab Angelis accepit,

quam

quam verò contra Dæmones confusi erubuerunt. Vere DEVS meus iam video, a quam pretiosa sit in conspectu Domini mors Sanctorum eius, quamuis vlcerosi, pauperes & contempti fuerint in mundo. O vrinam b moriatur anima mea a morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.

a Psal. 115. 5.

b Num. 23. 10.

EXPENDAM Deinde quanta gloria mendici huius anima in cœlo fruatur, quando ex Lybno translata fuit, & qua etiam corpus afficietur in resurrectione, nam ob eius vlcera immenso nunc afficitur gaudio, ob paupertatem æternas possidet diuitias, ob nuditatem gloriæ habet vestem, ob famem, satietatem æternam, ob desertionem & hominem contemptum, protectionem & honorem à Deo & angelis eius. O quam bene collocatos nunc iudicat labores omnes quos in hac vita sustinuit, iudicans nimirum, c quod in presenti fuit illi momentaneum & leue tribulationis, supra modum, in sublimitate æternum gloria pondus in se fuisse operatum. Excitare anima mea ad patendum aduersa in hac vita, quando quidem tanta requies & gloria te expectat in futura.

II.

c 2. Cor. 4. 17.)

## PUNCTVM III.

CONSIDERANDVM tertio quantum honorem Christus Dominus etiam in hac vita huic mendico tribuerit præcipuè in duobus. Primum fuit quod eius nomen cuius in mundo nulla erat memoria, voluit nobis reuelare, & quidem vt in suo Euangelio

I.

perpetuò scriptum maneret, vt omnes eius memoriam retinerent, diuitem verò illum auarum nec nominauit, nec in ore suo accepit, vt pauperes & contempti intelligant se non esse in obliuione apud Deum, & quod de nomine illos agnoscat, & eorum curam gerat, & suo tempore illos promulgaturum & honore affecturum, & vult eos in Ecclesia sua in honore esse, sicut S. Paulum primum Eremitam, S. Franciscum & alios quorum nomina dudum fuissent obliuione sepulta, nisi fuissent sancti, & vt appetitum retundamus, quoniam noti & in mundo nominari esse cupimus, & vt nomen nostrum operaque nostra sciantur, Deo potius hanc curam relinquentes.

## II.

SECUNDVM fuit quod eundem canonizauerit tanquam sanctum, gloriamque reuelauerit, quam ab angelis in morte sua accepit, vt omnes eum pro tali habeant, & in Ecclesie templa illi ædificentur & imagines exponantur, cuius si reliquie haberentur, eas etiam veneremur, iuxta illud Dauidis *honorati sunt amici tui Deus*, nominatum verò hæc fecit Christus, vt ostenderet excellentiam patientiæ in calamitatibus & miserijs, sola siquidem sufficit ad testimonium sanctitatis, vt qui eas sustinet, vt sanctus canonizetur, qui enim Dei voluntati se in patiendo subijcit facilius subijciat in obediendo, vt autem aliquis fiat sanctus insignis, sufficit si Deo in omnibus obediat, & æquanimiter toleret quæ ipsi ordinat aut permittit, modo prædicto. O

d Ps. 138. 17.

Deus

Deus æterne gratias maximas tibi ago pro honore quem tuis exhibes seruis, erigens de stercore pauperem, vt eum colloces cum cœli Principibus: Concede mihi, eius patientiã & obedientiam imitari, vt tua cum eo fruar gloria. Amen.

AD hæc tria puncta reduci potest, quidquid de vnoquoq; sancto meditatur; *Primum* est ipsius vita & virtutum gradus, quibus ad tantam sanctitatem imitatione Christi peruenit; *Secundum* est, eius felix mors & præmium, quod in illa Deus illi contulit; *Tertium* est honor, quo Deus illum etiam in hac vita affecit, dum etiam inter homines præmium tribuit meritorum.

## PUNCTVM IV.

**Q**UARTO consideranda est execranda auari diuitis vita è diametro contraria vitæ iusti Lazari. Nam vniuersa eius vita fuit continuũ quoddam superbiæ & avaritiæ exercitiũ, indulgentiæ in seipsũ, duritiæ verò cordis in reliquos. Superbiã & sensualitatẽ ostendit in vestitu, *induebatur .n. purpura & bysso*, purpura propter vanitatẽ; bysso propter indulgentiã: quæ etiã in victu erat, *quia epulabatur quotidie splendide*, ob iactantiã, delicatis verò cibus vescebatur, ob gulositatem, & quotidie vsq; ad satietatem comedebat ac bibebat. Auaritiam ostendit, quia diuitiis in propriam tantum utilitatẽ utebatur, magnam

cordis

Auari diuitis vita.

h



cordis duritiem & crudelitatem in pauperes ostēdens, quibus adeo misericordiam & elemosynam denegabat, ut nec micæ quidem quæ ex mensa ipsius cadebant illis largiretur, nec vlla commiseratione tangebatur, vlcerosi & esurientis pauperis, qui ad ianuam eius iacebat, in quo propriis canibus crudeliorem se ostendit, quibus tamen aliquid comedendum proiciebat, nihil vero pauperibus. Hinc proueniebat, ut eius domestici similes ipsi essent, discētes facillè exemplo Domini sui non misereri pauperum, si quidem nemo fuit domesticorum qui pauperis illius misereretur. His gressibus in grauissima incidit peccata, exhauriens totum maligni huius mundi spiritum, qui innititur a *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum & superbia vite*, tale enim est, quidquid est in mundo, contrarium prorsus spiritui Christi.

a 1. Ioan. 2.  
16.

II.

QUAM ob causam adeo illum Christus esse detestatus, ut etiam eius vitam enarrans, nec nominare voluerit, ut ostenderet quanto perè illum detestaretur & sperneret, & quod nec agnosceret, nec approbaret, cuius nomen ex libro vitæ esset deletum, velletque nullam ipsius apud homines esse memoriam. Et eodem modo cæteris paribus omnes eos detestatur qui illo ducuntur spiritu, vel omninò, vel ex parte, quærentes vanitatem, sensualitatem & propria commoda, quamuis cum detrimento proximorū. ex quo licet conicere quam sint repugnantia Christi Domini, & mundi huius iudicia.

judicia. Lazarus enim in oculis mundi huius erat infelix, in oculis Christi felicissimus. Contra diues, in mundi oculis erat felicissimus, apud Christum verò infelicissimus, Christus enim humilis fuit, & in seipsum rigidus, mollis verò in reliquos, & tales vult ipse habere seruos. O dulcis IESU, ex toto corde detestor purpuræ superbiam, & byssi delicias, cum tu purpura quidem vestitus fueris, sed ad irrisionem, nudus verò in cruce penderis; nolo conuiuia, nec delicias in cibus, cum tu hordeaceos comederis panes, tibi que in cibum & potum fel & acetum porrexerint. Nolo nomen meū inaniter per mundum promulgari, ne tu illud deleas è libro vitæ, aut mei oblitus è regno tuo repellas.

## PUNCTVM V.

**C**ONSIDERANDA quintò est infelix huius diuitis mors, & cruciatus, quibus afficitur in inferno. Statim enim ac *mortuus est diues, sepultus est,* (vt Christus dixit) *in inferno.* Mors itaque eius, finis fuit eius diuitiarum, deliciarum & vanitatū; initium verò miseriarum, cruciatuum & contemptuū, quibus afficietur in æternum. Ex hac vita nihil eorum, quæ habebat, secum abstulit, præter vitia & peccata, quæ illius tormentorum essent alimentū: in quo propterea locum habuit illud Iob, *a Ducunt in bonis dies suos, & a Iob. 21. 12.* *in puncto ad inferna descendunt.* Nam etsi primo aspectu mors eius suaui appareret; sed

I.  
Infelix di-  
uitis mors.

vlti-

b Sap. 5. 8.

ultimus tamen vitæ terminus, fuit principium eius poenæ. O punctum horrendum, finis vitæ delectabilis, quæ breui finitur; & initium vitæ miserrimæ, quæ nunquam finietur. Si in hoc puncto ad inferna descendero, b quid mihi profuit superbia? & diuitiarū iactantia, quid mihi contulit? præstat ergo in laboribus ducere dies vitæ huius, & in puncto in cœlum ascendere, vt illorum fructu præmioque fruatur.

II.

MOX Christus Dominus, vt infelicis huius diuitis poenas aperiat, de illo ait; *elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit; pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* In his monemur, damnatos affici tormentis, culpis suis proportionatis, ideoque infelix hic diues quatuor atrocias sustinebat. *Primum* flammarum, quæ totum eum à pedibus ad caput cooperiebant, ob vanitatem & delicias purpuræ & byssi, quibus induebatur. *Secundum* fuit in lingua, quæ, vt fuit instrumentum gulæ & garulitatis, ita comburebatur ab igne; horrendaque fame & rabida siti cruciabatur. *Tertium* fuit invidia, cum videret per reuelationem, felicem Lazari sortem: vt propterea ausus non sit quicquam ab eo petere; sed ipsam Abrahamum accessit. *Quartum* fuit desertionis & contemptus omnium, in poenam suæ

crude-

crudelitatis: neque enim apud Abrahamum misericordiam inuenit, nec gutta aquæ, quam petebat, est illi cōcessa: quia ipse micæ panis negauerat pauperi, & ideo non meruit misericordiam obtinere: quia non fecit ipse misericordiam. O DEVS iustissime, quàm sunt iusta iudicia tua; & quàm proportionatæ pœnæ tuæ peccatis nostris; quomodo non timeo rigorem iustitiæ tuæ; quomodo non tremo ad pœnas illas inferni! Libera me Deus à tui offensione, ne veniant super me iræ tuæ: aperi oculos diuitum, vt experimentum capiant in hoc diuite; oculos etiam aperi pauperum, vt non inuideant diuitibus.

## PUNCTVM VI.

**P**ERPENDAM sexto, responsum Abrahami diuiti datum, quo promulgauit illi immutabilem diuinæ iustitiæ sententiam, *a Fili inquit recordare, quia recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris; & in his omnibus inter nos & vos chaos hiatus magnum firmatum est; vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint; neque inde huc transire.*

a Lmo. 16. 25.

DVAS partes complectitur hæc sententia, Prima est, quod diues receperit in hac vita bona temporalia, hoc est, magna sua voluptate illa est cōplexus, collocans in illis suam felicitatem; & acceptans eadem in præmium aliquorum operum bonorum; mutata autem sorte, in pœnā malorū, nunc habet cruciatus &

I.

tormen-

tormenta. Contra verò Lazarus in hac vita recepit mala & calamitates, quas patienter complectens, eis purgavit culpas, in quas fortè inciderat: in præmium verò bonorum operum, quæ fecerat, mutata sorte, magna nunc accipit bona & inæstimabiles delicias. Quare utramque horum hominum sortem cõferens, eligam mihi illam, quæ est Lazari: neque enim possibile est, in hac vita sortem habere diuitis; & in altera mendici: si autem mendici sortem hîc habuero; ea mihi erit consolatio, quòd in futura nõ mihi cõtinget fors diuitis. O anima mea, attente considera, quam in hac vita sortem eligas: ex ea enim dependet, qualis in altera tibi continget. tremas ad prosperitates temporales; quia fortè præmium erit operum tuorũ; & postea commutabuntur in aduersitates æternas. Contra verò lætum te ostende ad huius vitæ aduersitates; quia Deus illas tibi mittit, in pignus & arrham prosperitatum, quas tibi conferet in futura. *Secunda pars est, quòd non fit transitus ex inferno ad cœlum; nec ex cœlo ad infernum. nullus itaque beatorum vnquam è cœlo exhibit ad condemnationem: decretum enim Dei in hoc est absolutum, firmum, & immutabile: vt suo loco dicetur.*

Meditat. 51.  
6. Part.

II.

ULTIMÒ expendam aliam petitionem, quam miserrimus iste proposuit Abrahamo; quam tamen ille similiter denegauit: cum Lazarus (ait) ad me venire non possit, *b Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domũ Patris mei:*

b Luc. 16.  
27.

habeo

*habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne  
 & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*  
 Quod non dicebat ex charitate, sed quod fra-  
 trum in infernum aduentus, ipsius pœnam ef-  
 fet aucturus ob culpam, quam malo suo ex-  
 emplo illis dato contraxit. O miseria hor-  
 renda damnati, cuius pœna crescit aspectu  
 bonorum, quos prius despexerat; & societate  
 malorum, quos operâ sua iuuit; quare & bo-  
 ni & impij, ipsi sunt carnifices; & omnia illi  
 conuertuntur in damnum, sicut c̄ diligentibus  
 Deum omnia cooperantur in bonum. Et ait illi  
 Abraham: habent Moysen & Prophetas: audiant  
 illos; hoc enim illis est satis. cui diues dixit, nō  
 credo Pater Abraham id sufficere illis, sicut  
 nec mihi suffecit. Sed, si quis ex mortuis ierit  
 ad eos. pœnitentiam agent: Ait autem illi Abra-  
 ham, si Moysen & Prophetas non audiunt; neq;  
 si quis ex mortuis resurrexerit credent. Facile  
 enim dicent, esse aliquod phantasma, aut sub-  
 esse fraudem: & multò est certius testimo-  
 nium sacræ Scripturæ, quæ à Deo est reuelata;  
 quàm testimonium mortuorum. Ex quo con-  
 cludam, quantum mea referat intelligere, &  
 fide viua credere, quod Deus de vita futura  
 in scriptura Sacra & Euangelio reuelauit;  
 meamque vitam huic fidei conformem insti-  
 tuere; experimentum in alieno capite acci-  
 piens. Si enim cæcus fiam, & indurescam, ne  
 audiam quod fides me docet; etiam excæca-  
 bor, & indurescam, ne credam quod mortui  
 dixerint, si ad me venirent. Quod si id cre-  
 dere

c Rom. 8. 28

d Recl. 38. 39

dere nolo, quod mortui dicerent; præstat au-  
dire, quod scriptura Sacra de eisdem refert  
atque si eosdem ipsos audirem, illud Eccle-  
siastici semper nobis occinentes, d *memor esto*  
*iudicij mei; sic enim erit & tuum; mihi heri &*  
*tibi hodie* sicut Meditatione II. primæ partis  
expendimus.

MEDITATIONES DE ALI-  
QUOT MIRACVLIS A CHRISTO  
in conuersione peccatorum, &  
ægotorum sanatione  
patratis.



Vo miraculorum genera Chri-  
stus Dominus erga homines fe-  
cit præter illa quæ circa insensa-  
tas creaturas vinum, panem, &  
Mare patrasse diximus: Quædam  
fuerunt spiritualia, peccatores, qui in pecca-  
tis suis consenuerant, conuertendo; alia cor-  
poralia, ægotantibus morbis incurabili-  
bus sanitatem reddendo, aut mortuos susci-  
tando. Et, teste S. Thoma, plerumque secun-  
dum primo coniungebat, animæ simul & cor-  
pori sanitatem restituendo; & sanando, ut  
ipse CHRISTVS dixit, a *totum hominem,*  
tam exteriorem quam interiorem, prius ta-  
men illum ad perfectam hanc sanitatem reci-  
piendam disponendo. Quare dum corporale

3. p. q. 44.  
43.

a Ioan. 7. 23

1 Luc. 5. 20.

24. de Pa-  
ralitico.

mira-

miraculū meditamur, perpendēdus est Ipiri-  
tualis effectus, quem in infirmo efficiebat; &  
quem, in vtilitatem nostram, idem significa-  
bat. Nam, vt corporis morbi animæ morbos *Ioan. 9. 14.*  
inducant; ita horum curatio occultam illorum  
curationem referebat. Quæ omnia in subse-  
quentibus meditationibus apparebunt, inci-  
piemus autem à conuersionibus peccatorum,  
quarum Euangelistæ mentionem faciunt.

MEDITATIO XXV.  
DE CONVERSIONE  
B. Magdalenæ.



ROGABAT IESVM a quidam a *Luc. 7. 36.*  
de Pharisæis, nomine Simon  
vt manducaret cum illo, &  
ecce mulier quæ erat in ciui-  
tate peccatrix, vt cognouit,  
quod accubisset in domo  
Pharisæi, venit ad illum, &  
attulit Alabastrum vnguenti.

PERPENDENDAE hîc sunt primùm huius  
peccatricis qualitates: cùm enim hoc nomine  
appellatur, insinuat eam peccata fuisse car-  
nalia, profunde radicata, & scandalosa, ob  
huiusmodi enim peccata, peccatrices solent  
mulieres nominari. Sed Euangelista non ex-  
pressit horum peccatorum speciem, nam vt A-  
post. ait, *b nec nomen quidē huiusmodi peccato-  
rum decet in vobis nominari.* Sed quoniā postea *b Ephes. 5. 3.*